

Joachim Schnobel    Heinrich Schmid

## **Disputatio Iuridica De Testamentis**

Rostochii: Kilius, 1648

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732584795>

Druck    Freier  Zugang



Testamente

Schnobel - Schmiden. — Vert. 16  
für. 1648.







DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
TESTAMENTIS,

*Quam*

AUXILIANTE DEO,

Approbante Amplissimo Jctorum  
Ordine in Illustri Academia  
Rostochiensi,

PRÆSIDE

*Viro Amplissimo & Consultissimo,*

DN. JOACHIMO SCHNOBELIO,

J.U.D.ac P.P. Facultatisq; Juridicæ pt. DECANO  
Spectabili, Dn. Præceptore ac Patrono suo omni  
observantia & honoris cultu atq; a  
suspiciendo,

*Publico examini subjicit*

HINRICUS SCHMIDEN,

Slesvicensis.

*Ad diem 1. Mart. in Auditorio majori.*

1648




ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILLII, Acad. Typogr. Anno 1648.









## Prooemium.

**R**es ipsa indicat, quàm utilis sit Testamentorum materia, quàm frequens etiam in foro hodierno. Ludibrio itaq; nos exponeremus, si illam laudando, cujus utilitas apud omnes in confesso est, in prooemio prolixiores essemus. Ut verò tractationem materiae hujus ordine auspiciemur, non abs re nostrà fore confidimus, si presidio divini Numinis prius implorato, Testamenti Etymologiam & Definitionem breviter pramiserimus, ut citius ejus rei vim, quam introspicere cupimus, animadvertamus.

### THESIS I.

**T**estamentum dicitur *Instin. pr. Inst. de Test. Ord.* ex eo appellatur, quod sit testatio mentis, cui etymologiae quidam DD. se acerrimos praebent patronos; ego tamen illis, qui vocem mentis emphasis tantum causa additã afferunt *Sebneid. in quaest. unde Test. dicatur n. 1. Mynsing. pr. Inst. d. T. O.* nec semper ex verbis instar Grammaticorum, sed ex ipsa re vocabuli notationem, Jctos mutuari ajunt, *arg. l. 1. pr. ff. de Just. & Jur. recdè meum adjicio calculum.*

2. Definitur autem Testamentum à Modest. in l. 1. ff. qui test. fac. post. quod sit voluntatis i. e. mentis, quoniam mentis integritas non sanitas corporis spectanda l. 2. ff. h. t. nostræ, quoniam non ex alieno arbitrio pender, sed propria duntaxat voluntate proficiscitur. l. 32. ff. de hered. instin. iusta sententia i. e. legibus conformis & consentanea l. 4. ff. qui test. fac. post. de eo, quod quis post mortem suam fieri velit. Postremis huius definitionis verbis indicatur, testamentum demum post mortem suam perfectionem accipere; viventis enim nulla est hereditas, *l. 1. ff. pro hered. vel post. l. 62. ff. de R. J. & volunta-*



luntatem testatoris ambulatoriam i. e. mutabilem esse usq; ad supremum  
vitæ spiritum l. 4. ff. de adim. vel transfer. leg. l. 1. C. de SS. Eccles. l. 32. §. 3.  
ff. de donat. int. vir. & uxor.

3. Factio Testamenti quoad originem & substantiam est juris gen-  
tium Gen. c. 15 v. 2. c. 25. v. 5. c. 27 v. 28 &c. quoniam gentibus sub mortem  
de bonis libera disponendi facultas fuit *Basch. pr. Inst. h. t. n. 3. §. 2. Inst. de*  
*L. N. G. & C. H. Grov. lib. 2. c. 6. n. 14.* quoad approbationem verò & for-  
mam specialem ei additam juris civilis. *Schneid. pr. Inst. h. t. Vigl. ad §. 2.*  
*Inst. eod. n. 5.*

4. Olim ex jure civili tria Testamentorum genera ab antiquitate  
celebrata fuisse constat: Unum, quo in pace & otio utebantur, quod  
calatis comitiis appellabatur §. 1. *Inst. de T. O.* ex eo, quod bis in anno  
convocato ad ea per præconem seu cornicinem populo, testator præ-  
sente populo, quasi teste ultimam suam declararet voluntatem, & Quiri-  
tes obtestaretur, ut illam esse ratam judicarent. *Ulpian. in fragm. t. 20.*  
*Gell. lib. 15. c. 27.*

5. Alterum, quod apud exituros in prælium in usu erat, in pro-  
cinctu dicebatur ex eo, quod in ipso ad militiam apparatu, ab ipsis mi-  
litibus procinctis i. e. toga militari cinctis, ob dubiam belli aleam, nullâ  
fermè legum habitâ solennitate conderetur *Ulp. & Gell. dd. h. d. §. 1.*  
*Inst. de T. O. Plutarch. in Coriol.*

6. Quoniam autem non semper erat copia testandi in comitiis, quæ  
bis saltem in anno indicebantur, haud rarò eveniebat, ut nonnulli re-  
pentino & subitaneo morbo correpti vitâ excederent intestati, Tertia  
deniq; testandi ratio à Romanis recepta, quæ per æs & libram vocaba-  
tur, ac quovis momento peragi poterat per mancipationem i. e. ima-  
ginaria n venditionem quinque testibus & libripende, civibus Romanis  
puberibus præsentibus, ac eo, qui familiæ emptor dicebatur (defuncti  
scil. futurus heres) §. 1. *Inst. h. t.* qui hisce solennibus verbis morituri pa-  
trimonium emebat: Hujus ego familiam, quæ mihi emptæ est hoc ære,  
& neaq; libra, jure Quiritium meam esse ajo. Deinde ære percutiens li-  
bram, ut æs dabatur, à quo hereditatē expectabat, quasi loco pretii. *Ro-  
sin. antiqu. Rom. lib. 8 Ulp. in fragm. t. 1. §. 11 & t. 19. §. 2. it. t. 20. §. 8.*

7. Sed cum hæc Testamentorum genera jampridem in usu esse de-  
sierant §. 2. *Inst. h. t.*, illorum saltem fiet mentio, quibus in foro utimur  
hodierno: Dividitur autem à *Schæcid. ad Inst. h. t.* testamentum in Pa-  
ganum & Militare.



8. Paganum est, quod fit domi extra militiam, & ordinatur auctoritate publicâ vel privatâ.

9. Publicâ auctoritate seu testimonio publico testamentū ratum esse ducitur, si ultima Testatoris voluntas Principi oblata, vel actis cujuscunq; Judicis insinuata. *l. omnium 19. C. h. t.* Et tunc propter illam fidem, quæ omnem falsitatis & fraudis suspicionem cessare facit, neq; testis neq; alia solennitas requiritur. *l. in donat. 31. C. de donat. Schneid in quest. de solen. test n. 17. Mysing. cent. 6. obs. 29. n. 4. Donel. lib 6. c. 6. Fachin. lib 6. c. 8.* Et hunc modum frequentissimum dicit *Cothman. vol. 2. consil. 53. num. 9.*

10. Privatâ auctoritate stabilitur, si suprema voluntas Testatoris privatorum auribus committitur: *l. 19 C. de Test.* illud autem est vel solenne, vel minus solenne. Rursus solenne fit vel per scripturâ, vel nuncupationē.

11. Testamentum solenne per Scripturam fit, quando testator uno contextu, nullo extraneo actu interposito, *l. 21. §. ult. ff. h. t. l. 21. l. 28. C. h. t. Bronch. cent. 3. c. 21. §. 22.* testibus uno eodemq; tempore subscribentibus, ultimum elogium in scripturâ exhibet. *vid. Schneid. & Bacch. in Inst. hic.*

12. Per Nuncupationem fit, quando testator coram testibus *§. ult. Inst. hic* specialiter ad hoc rogatus ultimam declarans voluntatem heredes palam, ut exaudiri possint, nuncupat, *l. heredes 21. ff. h. t. l. jubemus 29. C. h. t. Donel. lib. 6. c. 10.* unde etiam Nuncupativum dicitur.

13. Discrepat autem hoc testamenti genus à scripto, nempe quod testibus ultima testatoris voluntas in eo plerumq; aperitur, & patescit. *d. l. heredes 21. ff. h. t.* quæ circa solenne in scriptis adhibitos regulariter fugit *d. l. hac consult. 21. pr. C. h. t.* Deinde nec subsignatione, vel subscriptione testiū vel testatoris illud indiget *d. l. 21 §. 2. C. h. t. Schn. ind. q. Inst. hic,* nec deniq; corrumpitur, si scriptura intermiscetur; prout hodie secundum usum fori ad evitandum omne periculum, ne, si testes forte decesserint, irritum fiat testamentum, à Notario publico ultimo coram testibus elogio in scripturam redacto, instrumentum conficitur: quo casu non opus est ullius testis probatione, sed productio instrumenti, omnia vera & legitime facta esse præsumuntur *l. 31. C. de donat. l. 10. ff. de Probat. vid. Schneid. §. fin. Inst. hic. Modest. Pistor. Consil. 31. q. 2. n. 36. vol. 1.*

14. Testamentum minus solenne est, in quo omnes, vel quædam solennitates propter privilegia quibusdam indulta aliquantulum relaxantur, vel planè omittuntur, quale est parentum inter liberos, Principi oblatum, tempore pestis & seqq.



15. Primum testamentum minus solenne est Parentum inter liberos, ex justo matrimonio procreatos: singulari enim favore parentibus rigidior illa testamenti solennitas aliquantulum relaxata; *l. ult. C. fam. Erise l. hac consult. 21. §. ex imperfect. C. h. t. Gail. lib. 2. obs. 112. n. 1. 5. & 6.* Verumtamen haud omnibus juris civilis solennitatibus solutum hoc testamentum, sed parens, si peritus literarum, secundum legum solennitates ab Imperatore in *Novel. 107. c. 1.* expressas, ultimum condat elogium, & literis quidem expressis, non signis numerorum, modos unciarum, & nomina liberorum exprimat, tempus itidem, ut puta annum & diem subscriptione declaret. *Vid. Graß. lib. 1. sentent. §. Testamentum q. 16.*

16. Secundum minus solenne est quod ad pias causas fit, quando testator Ecclesiæ, scholis, Xenedochiis, pauperibus & captivis redimendis, duobus testibus cujuscunque sexus adhibitis, nec specialiter rogatis, quorum etiam subscriptio vel subsignatio necessaria non est, relinquitur, *relatum est II. Extr. de Testam. Donel. 6. com. 9. Graß. d. §. q. 17.*

17. Tertium est Principi oblatum, & actis judicii insinuatum de quo *vid. Tbes. 9.*

18. Quartum tempore sævissimæ pestis, seu luis epidemialis conditum, quod ob periculum contagionis coram paucioribus, quam alias requiruntur, condipotest: Et affirmantem hanc sententiam in Camera Imperiali in judicando præferri probant *Gail. lib. 2. obs. 118. n. 18. Mynsing. cent. 1. obs. 96. n. 1.* attamen negativæ sententiæ defensores atque vindices se constituunt *Fachin. lib. 5. Controv. c. 92. P. Berens disp. 6. ad Inst. th. 1. q. 6.* & alii quamplures, quorum opinio juri justiniano magis etiam conveniens est, ut expressè testatur *l. quo casu §. C. de Testam.* quam etiam nos ceu veriore, & validioribus subnixam rationibus amplectimur, nisi lex municipalis vel consuetudo regionis aliud infert. Sic enim non solum jure Saxonico, sed etiam Wurtembergico, testamentum ejusmodi coram duobus aut tribus testibus idoneis factum indistinctè valere, constitutum existat. *Gail. d. observ. 113. n. 17. Berlich. p. 3. concl. 5. Carpzov. p. 3. c. 4. d. 1.*

19. Quintum Rusticorū, quibus aliàs obrusticitatem *l. 2 ff si quis in jus vocat. l. 1. §. 5. ff. de Edend.* observatio stricta in multis legum subtilitatibus remissa est. Illi enim coram quinque, si copia septem-testium haberi non potest, legitimè disponunt, & si non omnes literas sciunt, tunc duo



duo vel tres literati pro aliis subscribere possunt, ita tamen ut reliquis testibus cognita sit testatoris voluntas *l. ult. C. de Testam. Ordin. Imp. Maximilianus l. de anno 1512. §. vnd sollen vers. Item und auff dem gow.*

20. Testamentum Militare est militis in expeditione occupati *pr. Inst. de milit. test. l. ne quid 17. C. eod. l. sancimus ult. C. de restitut. milit. ultima voluntas l. 1. l. 15. & l. miles 35. ff. de test. mil. omisis vel omnibus vel aliquibus solennitatibus, l. 3. C. eod. l. 31. C. de locat. & conduct. facta vid. Schneid. & Bacchor. ad pr. Inst. de test. milit.*

21. Quanquam autem militibus libera testamenti factio à D. Julio Cæsare, & successivè D. Titio, Domitiano, Nerva, Trajano indulta sit, *l. 1. in pr. ff. de milit. test.* ut speciali privilegio absque solennitatibus ultimam exprimant voluntatem; attamen de ea voluntate, quod sit seria, non joco fortassis, & sine animo testandi prolata, evidenter constare debet *§. 1. Inst. d. t. vel per scripturam, vel testes.*

22. Per scripturam fit, si miles quid in vaginâ, aut clypeo literis sanguine suo rutilantibus annotaverit, aut in arenâ gladio, vitæ sortem in ipso prælio derelinquens, inscripserit *l. milites 15. C. de test. milit. arg. l. 40. pr. ff. eod. Bocer. cl. 3. disput. 2. th. 54.*

23. Per testes fit, si coram duobus testibus, *l. 12. ff. de Testib.* haud specialiter rogatis ultimum condat elogium, *l. 24. ff. de test. milit.* ut ita fraus captantium testamenta evitetur. *Donel. lib. 6. c. 28. Gail. lib. 2. obs. 118.* Requiritur autem hi testes non solennitatis, sed probationis tantum gratia. *§. 1. in fin. Inst. de test. milit. l. 24. in fin. ff. h. t.*

24. Sunt autem varia genera militum, utputa vel milites militiæ togatæ, ut Doctores, Advocati, qui pro viribus ad defensionem civium in judiciis & negotiis Reipublicæ non minùs, quam si præliis & vulneribus illos servarent, operam impendunt *l. 14. C. de Advocat. divers. judic. & s. 1. C. de prox. sacror. scriv.* vel milites militiæ cœlestis, ut Clerici, qui milites Dei vocantur, & in Ecclesia armis spiritualibus contra infernalcm hostem perpetuo pugnant *o. placuis 21 q. 3. Schneid. ad pr. Inst. de milit. test.* Verùm hi prædictis privilegiis militaribus non gaudent, sed jure communi testari coguntur *§. ult. Inst. d. t.* sicut etiam scriniarii & apparitores ac similes qui castra sequuntur *arg. l. 16. C. de Test. mil.*

25. Et tantum de variis istis Testamentorum generibus hætenus summatim delineatis, dixisse sufficiat; jam ordinis ratio exigit, ut ad exactiora testamenti requisita progrediamur. Et primò quidem considerare

rare



rare debemus, quinam habeant testamenti factionem, deinde si habuerint, an secundum regulas juris ultimam voluntatem expresserint. *l. 4. ff. qui test. fac. poss. l. 1. §. 8. ff. de bonor. poss. secund. tabul.*

26. Possunt autem omnes illi testamentum facere, qui naturam vel legibus non prohibentur.

27. Natura prohibentur quidam vel ob vitium animi, vel corporis.

28. Ob vitium animi Impuberes testari nequeunt, quia nullum eorum est animi iudicium, quod non præsimitur ante pubertatem *§. 1. Inst. quib. non est permis. fac. test. l. 5. l. 19. ff. qui test. fac. pos. l. 1. §. 8. ff. de bonor. poss. secund. tab. l. 4. C. qui test. fac. poss. l. 4. C. quand. provoc. non est neces.*

29. Item Furiosi & mente capti *§. eod. Inst. l. 17. ff. qui test. fac. l. 9. C. eod. l. 2. ff. de inoff. test.* quia omnino mente sunt destituti, *§. eod. Inst. quib. non est permis. fac. test. & loco absentium judicantur, l. 2. §. 3. ff. de jur. codicil.* eorum etiam voluntas nulla est, *l. 40. ff. de R. 7.* Licet autem furiosi in ipso furore ob præcedentes rationes testamentum facere haud possint, si tamen tempore induciarum i. e. intermissionis insaniam, fecerint, jure testati esse videntur. *§. 1. Inst. eod. l. 20. §. 4. ff. qui test. fac. poss. l. 9. C. h. t.* integritas enim mentis, non sanitas corporis in factione testamenti spectanda est. *per expres. l. 2. ff. eod.*

30. Denique etiam Prodigii, quales sunt, qui neque finem, neque tempus expensarum habent, sed bona sua dilacerando, dissipando profundunt *l. 1. pr. ff. de Curat. furios.* testamenti factionem non habent. *§. 2. Inst. d. t.* quoniam ipsis administratio bonorum suorum interdicta *l. 18. ff. qui test. fac. poss. l. 1. l. 16. §. 1. ff. de curat. furios.* teste etiam *Ulpiano in fragm. t. 21. §. 12. Inst. de Test.* & tanquam pro nihil habentibus existimantur, & proinde cum ipsis furiosis & pupillis quoad bona comparantur. *l. 12. in fin. ff. de tut. & curat. dat.* Testamentum verò ante interdictam bonorum administrationem factum, ratum habetur *§. 2. Inst. d. t. l. 18. ff. qui test. fac. poss. confer. Novel. Leon. 39.*

31. Ob vitium corporis vel sensus Mutus, & surdus olim testari contra permissum Principis non poterant, sed intestati mortem subibant *l. 6. §. 1. l. 7. ff. qui test. fac. poss. §. 3. Inst. quib. non est permis. fac. mutus,* quia verba nuncupationis eloqui, & testes accire & rogare; surdus autem verba familiae emptoris & testimonium sibi perhibentes exaudire non posset, *test. Ulp. in fragm. t. 21. §. 12. de Testam.* Hodie tamen ex Justiniani

Justiniani



Miniani constitutione ita distinguendum: si quis utroque vitio simul laborat à natura, prorsus non potest testari: Ubi autem quis hujusmodi vitii non naturalis calamitate, sed morbò superveniente voce & auditu destituitur, si literarum peritus, rectè testatur. Sin autem fortè vitium est discretum, ut quis sit mutus tantùm, & hoc vitii vel ex accidente, vel novercante naturâ contraxerit, in scriptis, siquidem scribere sciat, facere testamentũ potest. Si surdus tantùm, & articulata voce voluntatem exprimere valet, rectè testatur, etiam si literarum sit ignarus *vid. l. discretus 10. C. qui test. fac. pos.* Testamentum tamen factum, antequam testator surdus vel mutus esse coeperit, ratum habetur. §. 3. *Inst. hęc l. 6. §. 1. ff. d. r.*

32. Cœcus autem licet à testamenti condendi facultate, modò dari possit, non repellatur §. 4. *Inst. d. r.* peculiare tamen quasdam solennitates ob metum falsitatis justissimum, quam aliàs oculorum intentio præcavet, ab Imperatore præscriptas in *l. 8. C. qui testam. fac. pos.* observare tenetur.

33. Cum autem cœcus scribere nequeat, requiritur ut per nuncupationem suæ condant moderamina voluntatis *d. l. 8. C. eod. l. jubemus 29. C. de Testam.* adhibito præter septem testes Notario, vel si copia ejus haberi nequeat, octavo teste literas callente, qui de ultima ejus voluntate scripturam conficiat, & uno eodemq; loco, ac tempore in omnium conspectu & præsentia, unà cum omnibus testibus, propria manu subscribat, ac consignet, & confectum ejusmodi testamentum uni ex testibus detur, eà conditione, ut id, quoties efflagitat necessitas, exhibeatur *d. l. 8. C. de Test. Ordin. Maximil. I. de an. 512. tit. von Testamenten.*

34. Si tamen inter liberos, vel ad pias causas testamentum conderet, citra prædictam testandi normam, illius arbitrium plenum obtinet robur. *Uig. ad §. penult. Inst. quib. non est permis. fac. test. Schn. ibid. in fine.*

35. Lege prohibentur vel ob potestatem, vel statum, vel alià ex causâ.

36. Ob potestatem Filius familias testamentum facere non potest. *pr. Inst. d. t. l. 6. pr. ff. qui test. fac. pos. l. 3. §. 1. C. eodem,* & quamvis parens illud ei indulserit, nihilo magis jure testatur *d. l. 6. ff. qui test. fac. pos. arg. l. 38. ff. de Pact.* quoniam nihil suum habet, ut testari de eo possit, *Ulp. in fragm. §. 9. de Testam.* exceptio tamen peculio castrensi vel quasi castrensi, de quo haud imus incipias filium familias testari posse, etiam invito patre *per l. ult. C. qui test. fac. poss. l. 6. §. ult. ff. de injust. rupt. irr. fact. test. pr. Inst. d. t. l. 1. §. 6. ff. ad SC. Trebel. l. 7. §. ult. ff. de donat.*

B l. 2. ff.



*l. 2. ff. de Scto Maced. l. ult. C. de Inoff. test. mortis etiam causâ patre permittente donare potest l. 25. §. 1. ff. de donat.*

37. Sed perplexæ disquisitionis quæstio hîc occurrit, & acere inter DD. est litigium: An filius familias de bonis, quorum usufructus patri vel quæritur vel non quæritur, testari possit? Et pro negativâ ceu veriore sententiâ haud exigui momenti plures se offerunt rationes, *l. penult. C. qui test. fac. poss. & ibi Gothofr. in not. vid. Mynsing. Heig. Vult. ad pr. Inst. quib. non est permis. fac. test. Donel. lib. 6. c. 28. Bronchorst. cent. 3. c. 27. ass. 21* quia testamenti factio est juris publici *l. 3. ff. qui test. fac. poss.* jus verò publicum seu Lex XII. Tabb. expressè patremfam. requirit, *l. 120. ff. de V. S. Connan. 9. com. 4. n. 4. Donel. lib. 6. com. 5. & ibi Willig. lit. K.* Aliud dicendum de illis, quæ sunt privati juris. Etenim & mortis causâ & inter vivos donare potest, arg. *l. 25. §. 1. ff. de mort. caus. don.*

38. Ob statum servus testamenti factionem non habet per *l. 16. l. 19. ff. qui test. fac. poss.* quoniam nihil habet proprium, de quo disponat, tum quod juris civilis hæc sit testandi forma, *l. 3. ff. h. t. cujus communionem non habet l. 20. §. 7. ff. h. t. l. 32. ff. d. R. 7.*

39. Sic capti ab hostibus (à latronibus non item *l. 13. pr. ff. qui test. fac. poss.*) testamentum facere nequeunt, *l. 8. ff. eod.* quoniam sunt servi hostium. §. 4. *Inst. de jur. pers. §. 5. Inst. quib. mod. jus pat. potest. solv. §. ult. & ibi Dd. Inst. quib. non est permis. fac. test.*

40. Observandum tamen, an fecerint ante captivitatem, quod duplici juris fictione ratum censetur, §. ult. *Inst. d. t.* & quidem jure postliminii, si redierint ab hostibus *l. 16. ff. de capt. & postlim. lege verò Corneliâ, si in hostium potestate decesserint l. 12. ff. qui test. fac. poss.*

41. Obsides porrò intestati obeunt, nisi hoc illis à supremo magistratu permissum. *l. 11. ff. d. t.* Hi enim quamvis non sint veri captivi & per hoc servi, illis tamen apud hostes detentis non sunt absimiles. *l. 31. & seq. ff. de jur. fide. Gloss. ad d. l. 11. Donel. lib. 6. comm. 6. s. Treutl. vol. 2. d. 20. th. 2. lit. G. & ibi Bacchov.*

42. Hodie autem inter Christianos hoc jure utimur, quod obsides non fiant servi, nec capti ab hostibus, quia bella Christianorum inter sese civilibus sunt similia, in quibus olim capti servi captivorum non fiebant, *l. 21. §. 1. ff. de capt. & postlim.* secus tamen fit in bello contra Turcas, & alios infideles ac Barbaros, qui captivos in durissimam trahunt servitutem. *De aren. in tit. ff. qui test. fac. poss.*

43. Denique Monachi ipso ingressu se suaq; bona monasterio addicunt



dicunt *Auth. Ingressi C. de SS. Eccles. Nov. s. c. illud quoque s. si verò liberos* relinquunt, dispositio ipsis permilla, modò legitima & debita pars monasterio cõperat *Auth. si qua mulier C. de SS. Eccl. Nov. 1230 si qua mulier 38.*

44. Ratione incerti & dubii status quoque nonnulli testamentum facere nequeunt *l. 14. l. 15. ff. qui test. fac. poss. cùm certam legem testamento dare non possint; d. l. 14. ff. eod.*

45. Statum verò suum ignorant: v. c. filiusfamilias, qui ignorat, an sub potestate patris vel patre peregrè mortuò sui juris factus sit, *Ulp. in fragm. tit. de Test. §. 11.* sic & servus in testamento Domini, quem decessisse nescit manumissus, an liber *l. 14. ff. eod.* item de statu incertus est, qui dubitat an hostes vel latrones sint hi, à quibus captus. *l. 24. ff. de capt. & postlim.*

46. Ratione poenæ damnati ad mortem jure veteri testamenti confessionem non habebant, *l. 8. §. ult. ff. qui test. fac. poss.* quoniam civitate ac libertate protinus privati poenæ servi efficiebantur *l. 6. §. 6. ff. de injus. rupt. l. 29. ff. de poen. §. 1. Inst. de cap dem.* nisi à condemnatione appellaverint, & pendente appellatione, fecerint testamentum, & ita decesserint *l. 13. §. 2. ff. qui test. fac. poss.*

47. Hoc tamen jure Novellarum planè mutatum videtur: hodie enim damnationi bonorum publicatio non adhæret, excepto crimine læsæ Majestatis *auth. bona damnator. C. de bon. proscript. Nov. 134. c. 13.* nec quisquam ob delictum hodie servus poenæ efficitur *Novel. 22. c. 8. auth. sed hodie, C. de donat. int. vir. & uxor. Wesemb. in parat. ff. qui test. fac. poss. n. 13. Clar. lib. 3. Sentent. §. Testamentum. q. 29.*

48. Inter prohibitas personas ratione poenæ numerantur etiam Hæretici, *l. 4. §. 5. C. de Hæres. & Auth. Gazaros C. eod.* Apostatæ, qui ex cultu Christianæ religionis in nefandam sectam seducti *l. 2. l. 5. C. de Apost. Damnati ob crimen famosum l. 18. §. 1. ff. qui test. fac. poss. & omnes illi, quoscunque Lex intestabiles pronunciat.*

49. Cognitis personis testamenti factionem habentibus, vel non habentibus, in considerationem jam veniunt solennitates, seu requisita ad testamentum secundum regulas juris formandum necessaria.

50. Primum itaque requisitum est testamenti scripti Scriptura, per quam testamentum est confectum. Hanc coram testibus vel consignatam, vel ligatam, vel tantum clausam involutamq; testator proferre, ac in eà ultimum suum elogium contineri, vel illam esse suum testamentum clarè pronuciare debet *l. 21. pr. C. de Testam. l. cum an-*



*si quis 2. C. eod.* Perinde autem est, an in chartâ vel membranâ scribatur, dummodo fiat integris literis, non notis *l. sed cum 6. §. fin. ff. de bo. nor. poss. Novel. 107. c. 1.*

51. Secundum est, Ut uno contextu, nullo actu extraneo interveniente, actus testandi procedat & conficiatur, *l. heredes. 21. §. ult. ff. qui test. fac. poss. l. hac consult. 21. C. de Testam. & l. 28. C. de Testam.* nisi fortè necessitas naturæ, vel infirmitas ægroti breve intervallum exigat. Hujusmodi actus (cû n. necessitas non habeat legem, & ejus causa sæpius à juris regulis recedamus *arg. l. si quis 2. C. de feriu.*) testamentum neutiquam infringit *d. l. 28. C. de Testam. Vigl. ad §. 3. Inst. de T. O. n. 3.*

52. Tertium est Numerus testium, qui quidem interdum ob varias causas statuto, vel jure municipali remitti potest: regulariter autem septem idonei testes in solenni testamento requiruntur *§. 2. Inst. de T. O. l. 12. C. de Testam. Ordiu. Maximil. l. de anno 1512. tit. von Testamenten. §. vnd sollen die Notar.*

53. Quartum est Testium eorundem præsentia *d. §. 2. Inst. ut in conspectu sint testatoris, ipsumq; videant, aliàs testamentum sit irritum, nisi ex speciali privilegio observatio sit relaxata l. si non 9. l. si non unum 12. C. de Testam. Gædd. ad l. 209. n. 1. ff. de V. S.*

54. Quintum est subscriptio testatoris *d. §. 2. Inst. hic.* nisi testamentum sit ipsius manuscriptum, & hoc specialiter in scripturâ ab illo annotatum, quod sit *ὁλόγραφον*, & tunc sufficit hoc, nec alia subscriptio exigitur *l. 28 §. 1. C. de Testam.* si verò vel literatum ignarus vel morbo impeditus subscribere nequeat, octavum testem adhibeat, qui pro eo subscribat *l. hac consult. 8. C. eod.*

55. Sextum est subscriptio omnium testium *d. §. 2. Inst. de T. O.* quilibet enim uno eodemq; loco & tempore subscribere, & proprio chirographo uti debet, *l. 30. ff. qui test. fac. poss.* nisi fiat in tali loco testamentum, ubi non inventiantur tot literati, tum enim duo vel tres pro aliis, artem pingendi literas ignorantibus, præsentibus tamen, subscribere non prohibentur *l. C. ab antiq. ult. C. de Testam.*

56. Septimum est Subsignatio testium, quæ fieri potest vel proprio vel alieno annulo, *d. §. 2. Inst. b. t. l. 22. §. 2. ff. eod.* dummodo annulo signatorio, formam insculptamq; signis imaginem habente, *d. l. 22. §. 5. ff. eod.* tamen si tutius esse creditur, ut quidam existimant, si testis alieno obsignans annulo hoc in subscriptione attesteretur.

57. Octa-



57. Octavum est, ut testes sint specialiter rogati *l. hered. palam. 21. §. 2. ff. qui test. fac. poss. l. 21. pr. C. de Testam.* si autem fortuito adven-  
riant, non sunt admittendi, nisi antea se ad testamentum adhibendos ad-  
moneantur *d. l. 21. §. 2. ff. eod.*

58. Nonum est, ut testes sint idonei *l. hac consulte. 21. C. eod.* Idonei  
autem judicantur ij, quibuscum testamenti factio est *§. 6. Inst. hic i. e.*  
qui heredes instituere, vel ipsi heredes institui possunt, & sic testamenti fa-  
ctionem vel activè vel saltem passivè habent, nisi ob impedimenta pro-  
hibeantur.

59. Prohibentur autem quidam vel Natura vel Lege.

50. Natura prohibetur 1. Impubes *§. 6. Inst. hic l. 20. pr. ff. eod.* ob  
lubricum consilium, judicij atque intellectus imbecillitatem *l. 3. §. 5. ff. de  
Testib.* adeò ut nec pubes factus, de testamento, ipso impubere, confecto  
testimonium dicere possit *l. 22. §. 1. ff. eod.*

61. 2. Furiosus, quatenus talis est, quia nullus illius intellectus, & lo-  
co absentis & dormientis reputatur, *l. 2. §. 3. ff. de jur. codicill. l. 1. §. 3. ff.  
de acquirend. vel amitt. poss. l. 5. l. 40. l. 124 ff. de R. I.* nisi tempore dilu-  
eidi intervalli. *l. 41. ff. eod. l. 20. §. ne furiosus 4 ff. qui test. fac. pos.*

62. 3. Mutus & surdus *§. 6. Inst. hic*, quoniam vocem testatoris  
non audire, *l. 21. pr. ff. d. 2. nec de re gesta apud Praetorem dare possunt  
testimonium. l. 1. §. 3. ff. de postul.*

63. Annumeramus his meritò 4. cœcum, qui testatorem planè  
aspicere non potest, quem ob fraudis suspicionem in conspectu habere  
testes omninò oportet *l. si non 9 C. de Testam.* tum sigillum recognosce-  
re nequit *vid. l. 4. C. 1. ff. Testam. quemad. aper.*

64. Lege à testimonio arcetur servus *d. §. 6. Inst. hic*, quem condi-  
tio & status rejicit, quoniam juris civilis communionem non habet: imò  
in jure civili pro nullo & mortuo habetur *l. 20. §. 7. ff. qui test. fac. poss.  
l. quod attinet. 32. C. l. servit. 209 ff. de R. J.*

65. Observandum autem hìc, si servus eo tempore, quo testamen-  
tum obsignatum, communi opinionel berac idoneus reputatus, ac de-  
inde ex intervallo intestabilis & servus apparuit, eitamen testamento  
jure Imperat. speciali, contra juris communis rigorem, subveniendum.  
teste Justin. in *§ 7 Inst. de T. O.*

66. Mulier quamvis aliàs tam in civilibus quàm criminalibus testis  
adhibeatur *l. 18. ff. de Testib. ibiq; Gothofr. l. 2. ff. de Accusat.* tamen ad tes-  
tamen-



amentarium testimonium, non ob sexus imbecillitatem, sed ob solennitates ex antiquissimâ usurpatione l. 20. §. 6. ff. qui test. fac. pos. introductas, in testem non admittitur. Haud igitur mirum, si mulier in iis testamentis, scilicet militaribus, ad pias causas, inter liberos, & in quibus solennitates aliquantulum relaxatæ, intervenire potest. Huc etiam pertinent Hermaphroditi, si foemineus sexus in illis prævaleat l. 15. §. 1. ff. de testib. l. 10. ff. de stat. homin. d. Ord. Maximil. l. de anno 1512. sub tit. 9011 Testamenter §. die Notar.

67. Filius in testamento patris, & contra pater in testamento filii de bonis castrensibus testantis à testimonio arcentur §. 9. Inst. hic l. 20. pr. ff. qui test. fac. poss. idq; ob fraudis atque collusionis suspicionem, quia plures ejusdem familiæ facilius de mendacio conspirare possint, quamvis in alieno negotio domesticum hoc testimonium non noceat. l. 17. ff. de testib. l. 22. ff. qui test. fac. poss.

68. Heres quoque scriptus §. 10. Inst. vñc velut in re principaliter suâ testis esse nequit l. 10. ff. de testib. l. 10. C. eod. l. 20. pr. ff. qui test. fac. poss. item is, in cujus potestate ipse est, aut quem in potestate habet, quia, ut Justinianus inquit, hoc totum negotium, quod agitur, testamenti ordinandi gratiâ creditur hodie inter testatorem & heredem agi §. sed neq; 10. Inst. hic.

69. Prodigus, cui bonorum administratio interdicatur l. 1. pr. ff. de Curat. furios. l. 18. pr. ff. qui test. fac. quoniam pro furioso habetur l. 7. §. 12. ff. quib. ex caus. in poss. iidem procul esse jubetur §. 6. Inst. hic.

70. Tandem in d. §. Inst. de T. O Imperator omnes, quos leges improbos intestabilesq; pronunciant, à testimonio repellit testamentario: quales sunt damnati ob crimen famosum, vel crimen aliquod publicum: l. 18. §. 1. ff. qui test. fac. pos. l. 20. §. 5. ff. eod. l. 3. §. 5. ff. de testib. l. 14. C. seq. ff. eod. Hæretici; vid. Auth. Credentes C. de Hæres. Apostatæ l. 3. C. de Apost. Cc.

71. Pro coronide hujus disputationis addimus, quod testium conditionem non mortis tempore, sed tunc, cum sigillum adponerent, inspiciamus. Si igitur, cum signarent, tales extiterint, ut admitti possent, nil refert, si postea illis quicquam contigerit l. 22. §. 1. ff. qui test. fac. poss.

Tantum de propositâ materiâ, pro ratione nostri instituti ac ingenij modulo, dixisse sufficiat.

Uni & soli Deo sit Laus & Gloria.

Ad



*Ad Præstantissimum*

D. N. RESPONDENTEM.

**N**on nisi per varios usus & mille pericla  
*Artibus in cunctis, quæ vita juvatur egena,  
Perficimur: quod Tu bene tecum mente vo-  
lutans*

SCHMIDEN, *in apricum ex umbris prodire laboras,  
Et cathedram scandens testandi edisseris artem,  
Perge, & perficies Christi bene cæpta favore.*

PRÆSES.

Viro-Juveni

*Præstantissimo atq; Humanissimo*

DNO. HENRICO SCHMIDEN, LL. Cultori  
industrio, Commensali dilecto, de Testamentis  
Disputanti.

**S**CHMIDEN publicitus properas protrudere merces  
Ingenij, ô patriæ portio cara tuæ;  
Aonio purum cum sic de fonte liquorem  
Delibare juvet, pocula docta fisis.  
Pocula qui fatagis sacræ gustare Themistos,  
Protinus in laudes ebruis arte rues.  
Perge modò bifidi rorantia flumina juris  
Haurire; hauristi plurima, plura velis.  
Ut quibus intumuit tumidâ jam venter abundâ,  
Quò plus sunt potæ, plus sitiuntur, aquæ.  
Perge age testari mentem Themidiq; Deoq;  
Percharus patriæ civis amatus eris.

*M. Lucas Bacmeisterus, SS. Theol. Prof.  
Wep*



**W**er Flug ist tadelt die / die so gar hoch verfliegen  
 In aller Künsten Arth / sich lassen nicht begnügen  
 Zu wissen schlecht nur das / wie Kirch vnd Pollicey  
 Zu Gottes Ehren recht im Stand zu halten sey.  
 Nein das ist zu gering / man muß daran nicht kleben /  
 Das lehrt auch die Natur ; Wir müssen höher streben /  
 Vnd das auch flugeln aus / was die Natur allein  
 Für sich behalten wil / vnd vns verborgen seyn.  
 Gleich wie Landstreicher / die zwar allenthalben leben  
 Doch nirgend sein zu Haus / also auch diese schweben  
 Bald mit Gedancken hoch / bald tieff ins Meer hinein  
 Vnd ihrer Klugheit muß nichts vnergründet seyn.  
 Doch wans zum treffen kompt / daß ihrer Weißheit Gaben  
 Die Kirch' auch Vaterland meint zu geniessen haben /  
 Da ist niemand daheim / der vor der Flugste war  
 Dem sein die Sachen frembd vnd Böhmische Dörffer  
 gar :

Dich treibt ein ander Geist ; Drumb bistu recht zu Preisen  
 Herr Schmidt du schewest nicht auch thätlich zu beweisen /  
 Was Dolstein noch von dir sich zu getrösten hat ;  
 So recht ; So fahre fort ; Den Meister lobt die That.

Johann. Junge / aus Dithmarschen.
















the scale towards document

*Ad Praestantissimum*  
**RESPONDENTEM.**

*siper varios usus & mille pericla  
us in cunctis, quæ vita iuvatur egena,  
mur: quod Tu bene tecum mente vo-  
lutans  
in apricum ex umbris prodire laboras,  
andens testandæ disseris artem,  
ies Christi bene cœpta favore.*

**PRÆSES.**

**Viro-Juveni  
antissimo atq; Humanissimo  
LICO SCHMIDEN, LL. Cultori  
Commensali dilecto, de Testamentis  
Disputanti.**

publicitus properas protrudere merces  
patriæ portio cara ruæ;  
um sic de fonte liquorem  
t. pocula docta siccis.  
is sacræ gustare Themistos,  
udes ebrius arte rues.  
idi rorantia flumina juris  
sisti plurima, plura velis.  
nuit tumidâ jam venter ab undâ,  
potæ, plus siriuntur, aquæ.  
*mentem* Themidiq; Deoq;  
riæ civis amatus eris.

*Lucas Bacmeisterus, SS. Theol. Prof.*  
**Ver**